

PAVLVS CONSTANTINVS PHRYGIO THEOLOGVS.



Paulus Selestadij in Alsacia natus, à pueris operam literis dedit, atq; primis fundamētis iactis ad academiam Basiliensem sese cōtulit. In ea in primis Theologico studio incubuit, atq; Historiarum lectionem magna diligētia adiecit. Itaq; factum ut ibidem 1513 sacrarum literarum Doctor cōstituatur. Cum etiam postea 1529 Euangelij doctrina Basileæ innotesceret, Paulus Ecclesiæ S. Petri primus Euangelicus Pastor electus fuit. Eam uocationem singulari diligētia perfecit, atq; peccatis ostensis Christum ueram salutis uiam declarauit. Ut etiam ingenij sui monumenta relinqueret, Chronicorum regnum regnorumq; omniū Catalogum, & perpetuum ab exordio mundi temporum seculorumq; seriem complectens, ex optimis quibusq; Hæbraicis, Græcis, & Latinis authoribus congestum, Basileæ edidit. Pari studio quoq; in Micheam Prophetam, in Exodus & Leuiticum cōmentaria scripsit, & multa mysteria explanauit.